

Contributors

Hehlen, Gustav Heinrich Eduard.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ioannis Friderici Starckii, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/re7khbn9>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



70
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
S C A B I E

Q U A M
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

P R O
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRUR-
GIA HONORIBUS OBTINENDIS

PUBLICE DEFENSURUS EST
A U C T O R
GUST. HENR. ED. HEHLEN

SEDINENSI POMERANUS

DIE XV. M. MAII A. MDCCCXIX.

H. L. Q. S.

BEROLINI,
TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

1851

THE

OF

S. C. A. B. I. E.

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

M A T R I
S U A E C A R I S S I M A E

A D

CINERES USQUE COLENDAE
HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

FILIUS

Ὁ βίος βραχύς,

Ἡ δὲ τέχνη μακρὴ,

Ὁ δὲ καιρὸς οὖτος,

Ἡ δὲ πείρα σφαλερὴ

Ἡ δὲ κρίσις χαλεπὴ.

HIPPOCRAT. APHORISM.

P r o o e m i u m.

Operaene pretium facturum sim, opusculo hocce conscripto, nescio, quum omnes omnino artis salutaris disciplinas sexcenties adumbratas videam. Quum vero ritui majorumque mori satisfieri per me non posset, nisi de argumento medico inauguralem dissertationem elaborassem, abjectis dubitationibus omnibus, ad hoc tandem materiae genus animum meum attendi, quod a condita inde hacce litterarum Universitate, quantum percontari licuit, a nemine desumptum et dissertatione percensitum

vidi. Quum praeterea non nulla scabiem
observandi atque indolem ejus investigandi,
occasio mihi obtigerit, haudquaquam dubita-
vi, quin hocce argumentum ceteris praeferreim.

In conscribenda dissertatione mea consulere
non dubitavi:

Traité d'anatomie descriptive par *Xav. Bichat*. Paris 1801.

Wesen der Exantheme etc. von Dr. *J. J. Reust*. Aschaffenburg 1814.

Kieser über das Wesen und die Bedeutung der Exantheme.

Adolph Henke, über die Entwicklungen und Entwicklungskrankheiten. Nürnberg 1814.

Anna K Lorrey tractatus de morbis cutaneis. Par. 1777.

A. C. Tergestini, dissertio de infantum morbis. Vienn. 1767.

G. C. Hildebrand's Beobachtungen über d. Krätzeauschlag. Hannov. 1798.

J. C. G. Ackermann, von der Krätze mit besonderer Rücksicht auf Spital etc. in dessen Bemerkungen über die Kenntn. und Kur innerer Krankh. 5tes Heft. Nürnberg. 1798.

J. J. Plenck doctrina de morbis cutaneis qua hi morbi in clases suas, genera et species redig. Viennae 1776.

Neues Magazin für Aerzte, herausgegeben von *Baldinger*. Band 9. 10. 11. 12. Leipzig.

J. P. Frank, de curandis hominum morbis epitome. Lib. IV - V.

Jos. Frank, Praxeos medicae universae praecepta P. I. Vol. II. continens morb. cutan. Lipsiae 1815.

Annalen des klinischen Instituts zu Berlin, herausgegeben v. Dr. *J. F. Fritze*, 15 Heft.

Antonii de Haen, opuscula quaedam inedita, accedunt morbor. historiae etc. Vindobonae 1795.

Ed. Vz. Guldener von Lobes, Beobachtungen über die Krätze gesammelt im Arbeitshause zu Prag. 2te Aufl. 1795.

- J. E. Wichmann*, Aetiologie der Krätze. Hannover 1791.
- J. C. Galés*, Essai sur la diagnostique de la gale, sur ses causes et sur les conséquences médicales pratiquées à de-
duir, sur les vraies notions de cette maladie. Paris 1812.
- Dr. Iohann B. v. Fischers* Abhandlung vom hohen Alter
etc. übersetzt v. *Weichard*. Leipzig 1777.
- Wilson* Treatise on cutaneous diseases. London 1813.
- Dr. L. F. B. Lentin*, Beiträge zur ausübenden Arznei-
wissenschaft. Leipzig 1797.
- J. Alibert*, description des maladies de la peau. Paris 1806.
- Th. Bateman's*, prakt. Darstell. d. Hautkr. nach *Willan's*
System aus dem Engl. v. *Hanemann*.
- Dr. G. A. Richters*, spezielle Therapie. 6r Bd. Berl. 1813.
- J. Pringle's* Beobachtung über die Krankh. einer Armee.
- J. C. Reil's* Fieberlehre 5r Band. Halle 1815.
- M. G. Pfanns* Sammlung merkwürdiger Fälle. Nürnberg 1750.
- Ch. W. Hufeland's* System der praktischen Heilkunde 2r Bd.
2 Abtheilung.
- Schmidt*, Cutis morbi ex materiae animalis mixtura et forma
mutatis cognoscendis. Halae 1799.
- Leonelli Faventini de Victoriis* practica medicinalis Lugdu-
ni 1574.
- J. H. F. Autenrieth's* Versuche für die praktische Heilkunde.
Tübingen 1809.
- K. G. Schmalz*, Versuch einer medizinisch-chirurgischen Dia-
gnostick in Tabellen. Dresden 1816.
- J. F. N. Jadelot* notice sur le traitement de la gale. Paris
1813.
- R. Willan*, die Hautkrankheiten und ihre Behandlung sy-
stematisch beschrieben, aus d. Englischen von *F. G. Friese*.
Breslau.
- Pauli de Sorbat*, Universa medicina. Noribergae 1672.
- Archiv für medizinische Erfahrung* herausgegeben von *Horn*,
Jahrgang 1816 - 17.

Omnium exanthematum chronicorum, quae cutem exasperant corpusque infestant, scabies facile est, non solum molestissima, verum etiam frequentissima, quippe quae, neque sanis, neque alio morbo vexatis corporibus, nec aetati, nec sexui parcit. Eadem periculum saepe inducit, quum vulgus in morbis levissimis eam habeat, nec prius ad remedia confugiat, quam malum inveteraverit, variasque molestias secundarias excitaverit. Veteribus jam aliquam hujus mali notitiam fuisse, non adeo a veritate abhorreere videtur; num vero Graeci *ψωρης* appellatione scabiem veram, qualis nostratibus obvenire solet, intellexerint, hic loci dirimi alienum puto, tum, quia ab auctoribus celeberrimis abunde jam haecce sunt tractata, tum, quia curationem minime perfectiorem reddere possunt. Scire tamen licet: exanthemata chronica temporibus majoribus rarios effloruisse, ad quod quidem vivendi ratio, regionum situs et exercitia gymnica haud parum contulisse mihi videntur. Omissis ergo, quae ad historiam pertinent, con-

festim ad argumentum nostrum animum attendamus.

Priusquam tamen ad id ipsum nos accingamus, de structura cutis generalia quaedam praemittere, non ineptum mihi visum est.

Etenim tota corporis superficies membrana quadam, cuticula, seu epidermide Graecis denominata, munitur; quae membrana, alba, densa, semipellucida, tenuis, exsanguis, sensus omnino expers, facile aufertur, facileque restituitur. Auctorum quidam, hancce membranam ex duabus lamellis compositam, quarum externam cuticulam *κατ' ἐξοχήν*, internam vero rete malpighianum denominarunt, perhibent; alii contra, hoc rete corpus peculiare et ab epidermide valde distinctum esse, contenderunt; quorum Ruyschius, cuticulam in foetu humano coloris cinerei, reticulum autem subflavi esse, affirmat. Eadem de causa etiam in diversissimas opiniones de sede nigrityae Aethiopum abierunt. Sunt qui contendunt: hujus coloris sedem duntaxat in summa cute, alii vero in solo reticulari corpore constitutam esse. Cum vero constet, epidermidem ac rete ejusdem structurae simplicissimae, nervis vasisque destitui, cum porro extra omnem dubitationis aliam positum sit, extremam cuticulam a reticulo subterjacente ortum trahere; cuticula nihil nisi pars externa retis, aëris accessu condensata, mihi videtur. Causam vero fusci coloris externorum Aethiopum

cutis integumentorum in superante carbonaceo corporis humani elemento quaerendam esse, censeo, quod cum hydrogenio per corium excernitur et oxygenii atmosphaerici accessu praecipitatum, mucus malpighiano sic dicto defigitur. Popularem hinc cutis colorem etiam ipsis Aethiopibus non innasci, sed post partum demum, et post commercium, quod foetus cum matre hactenus aluerat, sublatum, aëris externi aditu acquiri, notissimum est. Porro vero tum secernendo, tum constituendo carbonaceo elemento actuositate vasculorum sanguiferorum corii opus esse videtur. Hac enim depressa, aut impedita niveus praeter naturam et vitiosus passim cuti inducitur candor, fuscis aequae hominibus ac Aethiopibus. Contra vero candidae cuti, quodsi illa vasorum cutis actuositas excitata fuerit, ephelides et badii coloris maculae impinguntur, quas fere aethiopicam nigritiem inluisse certum est. Carbonaceum autem istud elementum generatim in atrabilaribus maxime praevallere videtur, manifestus enim est officinae bilis omni integumentis communibus et qui ad ea pertinent, pilis, consensus, organaque duo, hepar et ceteris, organis praecipuis, sanguinis massam purgatibus, accensenda sunt. Tum autem ingens celi in hepatis actionem potentia, ut pote, quae intra tropicos coeli ardore mirum in modum excitatur et augetur; hinc morbi biliosi intra tropico multiplices et endemici.

Altera pars integumentorum communium cutis stricte sic dicta seu corium est pellis crassa, cuticulae proxime subjecta, totum corpus continuo munimento cooperiens, in cujus exteriori superficie plurimi sulci seu lineae profundiores conspiciuntur, prae ceteris ubi cutis ob partium flexuram frequenter corrugatur, praeprimis autem in parte adversa manuum, cubitu et in poplite. Foraminibus copiosissimis perforata est, quorum alia majora sunt, uti oculorum, narium, alia minora, pori passim dicta, quae luculentissime corpore sudante se praebent. Hi pori duplicis generis esse videntur, majores, ex quibus pili emergunt, et minores, illis numero longe superiores, qui omnia interstitia creberrimis punctis perforant. Cutis non ubique est ejusdem crassitudinis, in genere autem septemduplo crassior cuticula; item inter duritiem atque mollitiem, aequae ac inter teneritatem densitatemque est diversitas. Mollior ac tenerior in facie, pene ac scroto, durior in cer vice, dorso, planta pedum, vola manuum. Corium ex tela densa cellulosa, stipatissima compositum, cujus fila citra ordinem intertexta sunt, unde extensilis, contractilis et porosa. Corium modo descriptum innumeris vasis atque nervis intertextum est, quae diversis functionibus praesunt, etque frequentissimis anastomosibus, quibus atque quoque organa excretoria instructa sunt, gaudet; ita ut, microscopii ope observata, praeterea celi

ex mero reti vasorum componi videantur. Talis reticulatus vasorum decursus ac concursus bene deprehenditur in cute, post injectiones in eam factas; omnia vero haec vascula cutanea cum internis coeunt. Corpusculum inter rete Malpighii atque corium situm, quod nomine retis vasculosi comprehendimus, quodque ex vasis diversi generis, ex arteriosis, venosis etc. conflatum esse dicimus, infra describemus, ubi de sede exanthematum agetur.

Pelli seu corio quidem proxime subjacet tela cellulosa, cujus structura, universim considerata, duplicem admittit differentiam; alteram scilicet ubicunque tela cellulosa, tum inter cutem et musculos, tum in interstitiis, ab integris musculis factis reperitur; fitque ex laminis membranaceis, in cellulas sphaericas, ovaes et magis depressas expansis, nulla symmetria inter se conjunctis, et variis hinc inde foraminibus respirantibus; quae cellulae, ubi secreto ex sanguine oleo in pinguedinem concreto turgent, adiposam, hoc vero carente, cellulosa sic dictam membranam efficiunt; quae est substantia cellulosa seu adiposa; Altera telae cellulosae pars non adeo distincta, cellulosa sic dicta ex innumera atque implicatissima congerie staminum aut filamentorum, nullibi cellulas, pinguedinem continentes, efformantium, componitur; quae tenerrima, mirifice oblique disposita, inextricabili adeo contextu viscerum omnium

et musculorum subsantiam internam perreptant, ita ut nil certi, nisi microscopio munitus hic distinguere queas. Laminarum cellulosae tunicae intervalla undique patent, et per totum corpus in unam continuam cavitatem coeunt. Quod probatur tum venti afflatu, vulnere aliquo recepto, et tamen cutem per totum corpus elevante (emphysema) quo facto aër, fissa cute receptus et retentus, totum corporis ambitum tumefacit; tum morbis, quibus in omnibus cellulosis corporis telis aqua deponitur. Telae cellulosae magna quoque est dignitas, quippe qua omnis arteriarum, nervorum, fibrarum muscularium, adeoque compositarum inde carniarum, viscerumque legitima firmitas stabilitur. Sed etiam partium flexurae et curvaturae a sola cellulosa tela, alibi laxiori, alibi duriori proveniunt. Ea cum vasis, nervis, fibris muscularibus et tendineis, (quorum quidem magnam partem ipsa efficit,) omnia viscera, omnes musculos glandulasque et ligamenta et capsulas constituit; ab ea sola, ejusque varia longitudine, tensione, copia, proportionem glandularum viscerumque diversitatem oriri, et ab ea denique longe maximam partem corporis ipsius effici, certum est si quidem non totum ex ejusmodi filis cellulosis componitur. Quum vero non eo animo sim, ut opusculum de cute ejusque functionibus conscribam, missa haec faciam et sequentibus pagellis propius ad scabiei descriptionem accedam.

De natura et sede scabiei.

Non modo temporibus majoribus, sed nostris etiam auctores uno eodemque nomine diversos descripserunt morbos, quo praeprimis scabies pertinere videtur. Omissa ratione phaenomenorum pathognomicorum minima jam similitudo iis suffecit, ut exanthemati cuilibet, a nostro, quoad formam, decursum ceteraque maxime distant, scabiei nomen induerent. Itaque verbi causa scabiem herpeticam, leprosam nobis perhibuerunt, et licet faciei exanthema nostrum parcat, de scabie tamen capitis ceterarumque ejus partium varia exposita legimus; iisque haud raro exanthemata, affectiones universales, vel comitantia, vel excipientia, scabiei nomine audiebant. Non tamen inficias eundum est, scabiem interdum difficillime ab exanthematis, ei similibus distinguere, quae, ut rite inter se distinguantur, autopsia, quae inest in nosocomiis adeundis aegrotisque curandis, unicum praestat subsidium. Exanthemata autem phaenomenis externis in cute manifestantur, nec, quoad indolem sensu latiori inter se discrepant, quam ob rem divisio exanthematum in acuta et chronica non est magni momenti, febris enim, signum praestantissimum acutorum, atque discrimen horum chronicorumque constituens, variabilis, atque in acutis saepe per breve tantummodo temporis spatium adest, interdum vero ex

toto deest; verbi causa in erythemate, petechiis simplicibus ceterisque. De natura igitur atque notione exanthematum in genere paucula disserere liceat. Exanthematis nomine comprehendimus mutationem visibilem cutis superficiei, a causa interna dependentem, sub quibus functiones cutis partim turbatae, partim ex toto extinctae sunt. Hae mutationes maculis minoribus vel majoribus, rarius vel densius superficiem occupantibus, rubris et inflammatis, tumoribus, pustulis vel ulcusculis conspiciuntur. Si ergo phaenomena et symptomata exanthematum generatim atque tpeciatim consideres, difficile est negatu, inflammationis processum omnibus subesse; neque tamen concedere in animo est, omnem inflammationem cujuslibet compagis membranaceae semper exanthematis forma manifestari. Sic v. c. experientia teste, membranae internae serosae inflammantur, exanthemate vix subsequente, quod quidem dissectionibus edocemur, si inflammationes pleurae, durae matris et peritonaei praecesserunt; tum vero nondum certo constat: annon secretiones morbosae et reproductiones aliarum in qualitate pathologicarum mixtionis mutationum atque alienationum, cutis plasticae sine inflammatione primaria oriri atque subsistere queant. Si vero naturam exanthematum inflammationem esse dicimus, naturae vocabulum hic loci non oblique accipiendum est; causam enim sufficientem, princi-

pium ultimum, quo morbus in organismo colloca-
 tur, enucleare et tenebras submovere morborum
 originem foventes nemini Pathologorum, ad no-
 stra usque tempora licuit; quam ob rem de pro-
 cessu morbo, quatenus sub sensus cadit, sermo-
 nem facere tantum possumus. Symptomata in-
 flammationis diagnostica, calor, rubor, tumor et
 dolor in exanthematis, et acutis, et chronicis de-
 monstrari possunt; sola enim autopsis phaenome-
 na omnia, tum in evolutione, tum exitu inflam-
 mationis obvia nobis offert. In scabie tempe-
 riam mutatam, caloremque auctum, in loco saltem
 affecto, esse neminem fugiet, qui hoc morbo ipse
 laboravit. Si vero sensim pedetentimque latius
 serpit, si cutis majorem partem exasperat, tempe-
 ries aucta manifeste observatur. Partes cutis ru-
 bicundae, tumidae et doloriferae signum inflam-
 mationis certum in scabie praebent. Difficile enim
 est intellectu, quomodo pustulae rubrae sine in-
 flammatione antecedente oriantur, atque puris col-
 lectio sequatur. Quodsi febrim consideres, discri-
 men inter utrumque exanthema constituentem,
 plerumque quidem in scabie febris vascularis uni-
 versalis deest, febris topica autem nunquam, mi-
 nime inter initia; inflammatio enim nihil nisi fe-
 bris topica, atque febris phaenomena sensu stri-
 ctiori nonnisi symptomata inflammationis sunt,
 qua sensibus nostris manifestatur. Quodsi febris

in chronicis exanthematibus non acrius procedit, causa in eo quaerenda videtur, quod cutis organon serosum est, nec adeo magna vi vitali et irritabilitate pollet. In acutis ipsis exanthematis, ut in scarlatina, morbillis ceterisque febris intensitas non semper eadem est, nec nisi cutis pars arteriosa immediate est affecta, atque irritamentum via sympathica in reliquum vasorum systema transmittitur, simul cum exanthemate febris gravior procedit. —

Verum tamen, ut sedem scabiei, sicuti et aliorum exanthematum eruamus, paulo curiosius rete vasculare, cujus supra mentionem fecimus, consideremus. Inter corium nempe et mucum Malpighianum hoc rete collocatum est, innumeris vasculis compositum, corio vero inhaerescens. Experimentis, disquisitionibusque anatomico-pathologicis omni dubitatione vacat, sedem exanthematum primariam hunc locum esse; semper enim inflammatio eo loco primaria excolitur, ubi innumerorum vasculorum ope vitalitas irritabilitasque luculentissime emergit. Cum quidem rete vasculosum primarium atque peculiare aruum sit, ubi numerus exanthematum ingens primas radices agit; jam ex magna eorum diversitate patet, rete vasculosum cutis non simplex, sed ex pluribus, iisque diversis vasculis compositum esse; et ut magnam differentiam exanthematum innume-

rorum generatim, et scabiei speciatim eruamus, nec non simul causam diversitatis efflorescentiarum perspiciamus, structura hujus retis prae ceteris considerata venit. —

Constat hoc rete ex vasis arteriosis, venosis, lymphaticis et serosis, prouti itaque haec, vel altera eorum pars prae reliquis affecta est, et inflammationis indoles mutatur, symptomaeque, exanthema scilicet formam peculiarem nanciscitur, et circa corpus sola rubedo, vel pustulae, vel vesiculae rel. sunt; hocque modo exanthematum differentiam indicant. Si prae ceteris vascula arteriosa et venosa patiuntur, inflammatio utitur characterem arterioso, v. c. in scarlatina; si contra systema serosum affectum est praeprimis exanthemata indolem lymphaticam subeunt, uti in nostro morbo. Cum vero cutis ceterae partes per decursum exanthematis simul corripiantur, ita quidem, ut illae non raro primitus affectae videantur, efflorescentiamque quam maxime mutent, inter initia morbi tantum pars affectionis primariae dignosci potest, quia eo tempore haec pars non sola, sed tamen gravius reliquis affligitur. Forma ceteraque phaenomena in scabie obvia, pustulae puriformes, procul dubio indicant, scabiei sedem primariam in parte lymphatico-serosa retis vascularis, characteremque scabiei, vesiculae in pustulas puriformes transeuntis luculenter demonstrant, de quibus vel lymphæ coagulabilis, vel serum exit.

Descriptio et decursus scabiei.

Scabiei nomine comprehendimus exanthema quodvis;

1. In quo oriente cutis plus minusve prurit, qui pruritus calore augetur.

2. Quod in diversis corporis superficiei locis simul apparet.

3. Febris cum eo conjuncta sit, necesse non est.

4. Ubi interstitiorum cutis integra invenitur, et tum demum crusta formatur, si pustulas scarrificant aegroti.

5. Cui pustulae sunt cute elevatiores, colore initio subrubrae, mox albae, primo exiguae, durae, aqua repletae, deinde aliae majores, molliores, pure scatentes, aliae vero mane vel vespere, ubi calescit aeger, minores pruriginosaeque. —

Si omnia haecce phaenomena accedunt, persuasissimum nobis habere possumus, tale exanthema veram esse scabiem; hisce vero adnotatis criteriis non solum scabies dignoscitur, sed simul etiam a ceteris cutis efflorescentiis distinguitur. Sic v. c. tertium nostrae descriptionis adnotatum scabiem a variolis, morbillis omnibusque exanthematibus acutis, quibus febris universalis plerumque est symptoma constans, distinguit; favus vero, tinea capitis crustaque lactea eo a scabie differunt, quod interstitia cutis laborantis non integra

integra sunt, atque crustae jam ante aegrotorum scar-
 rificationem formantur. Est scabies morbus lente
 decurrens, nulli aetati nec sexui prae ceteris pro-
 prius, qui idem corpus plus semel tentare potest.
 Initium facit ex tuberculis duris, coni instar ele-
 vatis, rotundis, rubris, siccis, parvis, initio vix
 oculis patentibus, quae sensim sensimque crescunt,
 tum lente in vesiculas miliarias, hinc illinc ma-
 jores, raro autem praeter modum eximias, locis
 singulis distantes, raro confluentes vertuntur.
 Apex earum est subalbidus, pellucidus, humore
 acris et aquoso repletus. Hae pustulae primo di-
 gitorum interstitia occupantes, ad metacarpum,
 tum carpum, ulnam, poplitem serpunt; remediis-
 que neglectis pedetentim totum fere corpus, ex-
 cepta facie, quae tamen manibus scabiosorum fre-
 quenter contrectata et ipsa defoedari potest, inva-
 dunt. Calore vel aestivo tempore, vel igne ad-
 aucto pustulae crebrius proveniunt; ceterum ta-
 men morbus omnibus temporibus anni non adeo
 mutatur. Molestia gravissima scabiei est pruritus,
 prae ceteris circa vespere, lecti aut clibani ca-
 lore ingravescent, qui aegrotos, molestum pruri-
 tus sensum extincturos, ad scarrificandum invi-
 tat, quo facto autem plerumque dolor sequitur.
 Ex vesiculis sic laesis humor limpidus atque acris
 effluit, qui in pustulis, diutius jam florentibus,
 modoque in lecti calore prurientibus, subflavus,
 purulentus fit, atque peculiari odore, scabiei pro-

prio pollet. Interdum in eo loco, quo vesiculae scarificatae fuerunt, ulcera majora formantur, saepe vero pustulae denuo pure replentur, saepe etiam exarescunt transeuntque in squamulas subalbidas atque maculas subcoeruleas, fere rotundas, sine cicatrice relinquunt. Sed paulo post denuo oriuntur pustulae innumerae, quod incrementum ac decrementum morbi usque ad causae destructionem cutisque functionem normale restitutam tenet. Pruritu molesto, praeprimis inter stadium subinflammatorium accedente excepto, scarificatione frictioneque diu continuato, exceptis nocturna inquietudine atmosphaeraeque impatientia aucta, initio nulla phaenomena morbosa nobis offeruntur; si vero malum diutius inhaeret, si nulla remedia adhibentur, appetentiae defectum, pallorem, debilitatem, tabem atque febrem hecticam excitat. Sicut humores jam ante exanthematis accessum morbose affecti esse possunt, ita non inficiandum est, interventu miasmatum magnam evenire mutationem; in qua diversa humorum indole, simulque partium solidarum causa, latere videtur, quod scabies interdum pustularum, interdum vesicularum formam assumit; quin imo sola tubercula exhibet, quibus parum tantum materiae puriformis subest. Discrimen inter scabiem humidam, pustulosam atque siccam igitur a constitutione aegrotorum peculiari dependere videtur; quam ob rem fieri nequit, diversarum scabiei formarum differentiam, quoad naturam institui,

est ad hanc divisionem componi. Medico contra est magni momenti atque utilitatis, praecipuis si in populo medicinam facit, ubi scabies non tam frequenter, quam in nosocomijs occurrit, ut differentiam pro curatione statuatur; quae ex gradu atrocitatis, eaque ipsa ex constitutione peculiari atque aetate deducatur, necesse est. Sequentes hinc considerandae veniunt divisiones.

1. Scabies inflammatoria, quae in hominibus robustis, plethoricis, ceterum sanis occurrit, incipit a parvis subalbidis vesiculis, quae pruritu aegrotum ad scarrificandum invitant; quo dilaceantur, atque in vulnuscula mutantur, quae colorem rubrum subeunt, et minore, majoreve cum dolore inflammantur; quo facto suppuratio, minus, magisve expansa oritur. Haec suppuratio pustulas parvas, subalbidas, materia puriformi repletas excitat; quae, si aperiuntur, sensim collabuntur, liccescunt, crustasque, raro tantum post delapsum lenuo apparentes, formant. Haec est scabies s. d. inflammatoria, in qua periodi tres diversae, eruptionis, Suppurationis atque exsiccationis luculentius apparent, quam in ceteris speciebus.

2. Scabies lymphatica serosa accedit in corporibus infirmis, iisque junioribus, ubi systema lymphaticum ceteris systematibus praevalet; quam ob rem in infantibus inflammatio pustularum minus luculenta, earumque contenta magis aquosa offeruntur. Crustae, inter exsiccationem orientes,

tardius formantur, pustulae vero sub crustis saepius denuo emergunt; qua ex re inflammationis periodi haud manifestae sunt, saepeque evenit, ut tuberculae, vesiculae, pustulae, crustae et maculae eodem tempore accedant.

3. Scabies sicca obvenit in senibus, vel iis qui humoribus defecti sunt; generatim ubi systema reproductivum languet. Tum efflorescentia non luculenter apparet, suppuratio fere modo inobservabili procedit, atque exsiccatio tantum in eo consistit, quod epidermis lente sensimque desquamatur. Praeprimis hac in specie suppurationis periodus parum evidens est.

Discrimen tamen harum trium specierum tantum pro gradu est faciendum, quod solum constitutione atque aetate nititur. Magnum igitur vitium Pathologi committunt, unum eundemque morbum, si inveteravit et in pejus abiit eademque de causa symptomatis aberrantibus insignit, diversa ab origine nasci putantes. eique alienam naturam tribuentes

Aetiology

Patres artis nostrae vetustissimos, quamvis accurate, ingenioseque morborum decursum observarent, in morborum tamen causis perscrutandis nil nisi tenebras conspexisse constat. Omitenda ideo putavi, quae senex ille Hippocrates, quae Galenus, quae Avicenna, aliique ejus aeta-

tis, de bile depravata, tum omnium fere morbo-
 rum, tum et scabiei causa perhibuerunt. Notatu
 indigniora censui, quae recentiores, artis peritissimi,
 hac in re statuere. Primum scabiem ex conta-
 gio sui generis, instar variolarum, morbillorum,
 illius venerae propagari, a nemine in dubium vocari
 iudico; cum ab omni parte sanos homines, sine ulla
 causa praedisponente ea contaminatos esse, experien-
 tia docuerit. Deinde sunt, qui dicant, scabiem et ex
 aliis causis singularibus, quas specificas dicunt, oriri;
 aut scabiem sic dictam syphiliticam, serophulosam,
 scorbuticam etc. Alii posuerunt, scabiem ab animal-
 culis, ex specie Acari, quem Acarum humanum de-
 nominarunt, excitari; quam hypothesein prae ceteris
 Chr. Wichmannus vindicare studuit. Haec tamen
 ejus theoria, quae paulo accuratius examinetur,
 mihi digna videtur; cum ex hacce curandi me-
 thodo, rato axioma, nihil in scabie, praeter ani-
 malcula interficiendum, et neglecta aetatis constitu-
 tionisque ratione, omnibus in exemplis ea reme-
 dia externa, quibus animalcula necari compertum
 est, adhibenda esse, non raro infirmioribus homi-
 bus damni aliquid inferatur; praecipuis si aeger
 simul alio morbo detinetur, qui sulphur, aliudve
 remedium externum, animalculis his inimicum
 non recipit. Chr. W. autem, facilius, inquit, ex
 animalculis scabiei phaenomena, pruritus scilicet,
 contaminatio atque sanatio remediis externis in-
 telliguntur. Quam parum vero probabilitatis in-

de redundet, unusquisque facile videt, qui animadverterit, esse et alia exanthemata, quae pruriant, quibus eodem prospero successu remediis externis occurratur, quibusque tamen omnis insectorum suspicatio aliena sit. Quid, si ego idem contenderem, comedones esse animalcula, quia et ejus phaenomena, pruritus et sanationem per balnea ita facilius interpretari mihi videor, quam si glandulas cutaneas obstructas, quam opinionem hodiernae omnes amplectuntur, censeo. Rectius aliquem facturum judico, causam alicujus effecti invenire cupientem, si ad ipsum effectum animum attenderit et inspexerit.

Quod pruritus, quem cl. Wichmannus melius in scabie ex rodente syrone explicandum putat, quam in quavis alia inflammatione, ubi dolor pulsitans pruriensque imminentis suppurationis signum est prognosticum, ac in caeteris omnibus inflammationibus haud leviter prurientibus, concedendum ei quidem est. Quod vero ad contagium attinet, quod auctore Wichmanno ex syronibus assertis immediate fit, cum animalcula in calore reviviscere et ita corrosionem, eaque pruritus inducere affirmet, negari oportet. Quomodo enim evenit, ut in urticaria, quae calore intus repellitur, pruritusque solvit, in frigore autem iterum efflorescit, pruritus maximum tum efficiat? Hocce exanthema plerumque post refrigerationes oritur, nec unquam insectis; quodsi etiam conce-

dere velis, quomodo fit, ut hic pruritus in frigore efficiatur? Tum vera scabies inter digitos manuum primum manifestari, ibique per aliquod tempus morari sine progressibus solet; dein ut plurimum, si malum diutius haeserit, crura et pedes, corpus ipsum rarius, facies vero, nisi ex digitis pus scabiosum ei infertur, nunquam corripitur. Quid impedit, quo minus quemcunque in locum perveniant? quid est, quod animalcula iter tam longum, tantoque spatio distans capeant. Sunt alii etiam morbi, qui multo adhuc facilius corpus inficiunt quam scabies, quibus autem contagium subesse, nemo contendet; sic v. c. pestis, variolae cet. quae jam ex loco distantia inficiunt. Denique si acarus esset scabiei causa, procul dubio et facies hoc morbo afficeretur. Porro Vogel aliique contendunt, scabiem aliquando sine ulla artis opera abituram.

Sunt etiam, qui scabiei contagio non laedantur; ad quae Wichm. respondet; inesse plurimis hominibus odorem peculiarem, quem aversantur insecta. His vero opponere licet, esse corpora, quae nunquam variolis corripiantur, etiamsi diutius cum hominibus, variolis tentatis, versentur; quin imo sunt, quibus virus syphiliticum parcat; unde ad omnemquemque morbum dispositionem quandam requiri, apparet, qua, qui carent inficere nequeunt, quae eadem est in scabie ratio.

Porro Wichm. pergit, ex sanatione, remediis

externis, procurata, insecta causam esse scabiei, patere videtur, cum plerumque iis remediis huic malo occurratur, quibus vim, insecta occidendi inesse constet. Quamvis inficias non eundum est, scabiem remediis externis citius curari, neutiquam tamen exinde sequitur, hanc sanationem tutiorem esse. Et ipsa remediorum externorum denominatio valde ambigua est, quum plerumque externa dicantur illa, quae loco certo extrinsecus admoventur. Non satis considerarunt, haecce remedia etiam in partes internas vim exserere, sicuti sulphur, hydrargyrum, quae tamen sunt praestantissima remedia acari necandi. Sic verbi causa mercurius et externe adhibitus salivationes efficit, china ventriculo indita febrem intermittentem sanat etc. Remedia mere externa tantum ea nominare licet, quae modo mechanico in corpus agunt, ut balnea frigida, cauteria aliaque huiusmodi cuti imposita.

Ex his patet: remedia sic dicta specifica in scabie, mercurium et sulphur nullatenus in partes tantum externas agere; quibus igitur intus datus scabies quidem tardius, sed unice sanatur. Si nihilominus contendunt, haecce remedia solum externe agere, perspicere nequeo, quomodo explicare velint, quod sulphur uni tantum parti, manui rel. adplicatum, in totum corpus agit, aequae scabiei medetur.

Denique acarum scabiei causam suppeditare,

Wichmanno monente, autopsia docet; quibus ver-
 o objici potest: nondum adhuc evictum esse,
 an ii, qui acaros se vidisse contendunt, vere vi-
 derint; experimenta enim Microscopii ope insti-
 tuta facile in errores inducunt. Multos ante an-
 nos etiam in spermate, ceterisque corporis huma-
 ni humoribus, quin imo in sanguine animalcula
 masserebantur, quod quidem nostris temporibus
 sat superque refutatum est.

Veruntamen, cum Wichmanni libellum de
 aetiologia scabiei perlegissem, qui quidem ab ini-
 tio respondere mihi videbatur, diu anceps tene-
 bar, an in pustulis scabiosis semper haec animal-
 cula inesse, causamque hujus morbi continentem
 consistere, mihi persuaderem. Optimum inde judi-
 cavi, oculis Microscopio munitis disquirere. Etsi
 quis dicat, experimenta mea non rite instituta es-
 se, animalculaque tantum in pustulis nuperrime
 ortis, atque in cute, circa has pustulas requiri,
 opponere possum: me non solum et recentiores
 et veteres scabiei pustulas disquisisse, sed et om-
 ni modo, sicuti Wichmannus praescripcit, eas
 tractasse, ita ut pustulas circumciderem, rimas ru-
 bicundas circa eas perscutarer, quibus praeprimis
 acarus inesse dicitur; atque vitra, quae quinquagies
 usque ad ducenties amplificat, adhiberem.
 Sed ne in ulla quidem pustula, vel rima acarum
 inveni; et ut mihi persuaderem, me recte vidisse,
 atque disquisisse, amicus meus, maxime colendus

Dr. Ehrenberg, qui dissertationem de sylva mycologica Berolinensi conscripfit, microscopiisque utendi peritissimus est, hasce disquisitiones mecum simul instituit atque examinavit; nemo vero nostrum acari vestigium invenit.

Tantum vero abest, ut contendam, acarum nunquam in scabie esse, ut dicam raro fieri, eumque non causam scabiei sistere sed potius ejus sequelam esse; sicuti in aliis inveteratis exanthematibus atque ulcusculis animalcula oriri videmus. Causa scabiem efficiens contagium quoddam, quam maxime fixum, quod, ut inficiat hominem contactu longiori opus est. Hocce contagium in corpora, aliis morbis vexata, vel debilia, fortius quidem agere potest, sed difficulter contendere licet, scabiem sine antecedente infectione sponte sua oriri.

P r o g n o s i s.

Vera atque simplex scabies fere nunquam periculosa evadit, si etiam per longius temporis spatium perstiterit. Si vero corpus scabiosum jam antea aegrotabat, humoribusque destituebatur, facile inde macies, et ex jactura materiae seroso-lymphaticae tabes adeo oriri potest. Interdum vero observavi, scabiem, jam per menses tenentem in aspredinem herpeticam, quin imo in ulcera mere herpetica transiisse, ita ut scabies characterem suum amitteret. Pustulae tum magis

sunt dispersae, majores, minus prurientes, semper
 fere humidae, crustaque obductae; quae, si scarri-
 fificantur, denuo facillime exoritur. Cutis saepe
 dura, ulcera non raro maligna evadunt, et tum
 etiam faciem obsident. Ex his colligere possu-
 mus, scabiei aliquam analogiam et herpetis inter-
 cedere.

C u r a t i o.

Cum curatio unius cujusque morbi semper
 secundum causas, morbum excitantes dirigi de-
 beat; diversissimas auctores subierunt opiniones,
 quoad stabilitam scabiei causam. Majorum me-
 dici saeculorum scabiem ex solis cruditatibus ori-
 ri arbitrantur, solummodo remedia alvum laxantia,
 ceteraque diluentia adhibuerunt. Contra, qui or-
 tum scabiei ex acaro deducere consueverunt, non
 nisi medicaminibus, quae haecce animalcula ne-
 carent, usi sunt; solis igitur externis. Brownii
 denique aemuli, qui scabiem morbum corpus de-
 bilitantem habuerunt, tonica roborantia et recenti,
 et in inveterata scabie propinarunt. Tum magnus
 est medicorum numerus, qui modo ad hanc, mo-
 do ad illam methodum inclinant, rel. Priusquam
 vero sanationem scabiei petamus, inquirendum
 est:

1. An vera sit scabies, quam contagio sibi
 contraxerit aegrotus. De spuria enim verba hic
 facere nolimus, cum semper symptoma morbi,

quem comitatur sistat, eique remediis occurratur oportet, quae morbum, symptoma excitantem, tollunt.

2. Nun scabies diu persisterit, aut magnam jam corporis partem occupaverit, nec ne.

3. Num aliud simul cum scabie conjunctum sit malum, v. c. si in mulieribus accidit scabies, an menses fluant etc.

4. Num, antequam hoc malo aeger contaminaretur, nullus adfuerit morbus, qui scabie sive penitus, sive ex parte sublatus sit.

Ex omnibus quidem, si quid malum inventum fuerit, melius esse concludo, vel omnem sanationem omittere, aut iis tantum uti remediis, quae interne adhiberi solent, atque morborum sanationi respondent. Quodsi autem, rem accuratissime perscrutati, nil adversi invenerimus, unde periculum timendum sit, brevi tempore atque certo remediis externis, quorum deinceps mentionem faciam, malum sanabimus.

Si igitur scabies nondum diu perstitit, si corpus ceterum bene valet, morbus quasi localis consideranda, iisque remediis excipienda est, quae experientia duce contagium brevissima via deleant. Multifaria hunc in finem tentantur remedia, quorum praestantissima pars est sulphur, quod huic contagio ita infensum est, ut mercurius syphilitico; cetera igitur, quae sulphuri admisceri solent, non magni momenti esse videntur; tamen ex toto non sunt rejicienda, cum virorum clarissimo-

rum experientia, partim sulphuris efficaciam augeant, partim vero etiam complicationes tollant. Praestantissima eorum fere sunt:

1. *Mercurius*, qui, si scabies magnam corporis partem exasperavit, magnaue hydrargyri copia ad morbum sanandum opus est, facile salivationem, corporibus debilibus, aliisque morbis exhaustis noxiam excitat. Interdum tamen, si alia est corporum ratio, ac modo dicta, ceteris, quin imo sulphuri praeferendus est; praecipuis, cum odorem, sulphuri proprium, multisque hominibus ingratum non moveat.

2. *Ammonium muriaticum*, quod solum interdum scabiem depulisse, exempla probant. Usui praecipuis solutio hujus in aqua pluviali respondet, ex qua partes, scabie affectae per diem pluries lavantur. Porro laudata sunt: Æ . baccar. lauri, Ol. laurin. rad. Hellebori, zinc. sulph., olea pingua, acida, Graphit., manganesium etc., quae vero plerumque simul cum sulphure adhibentur, cui etiam vis morbum delendi, adscribenda est.

Quod sulphur ipsum attinet, diversissimis in formulis et praeparatis adhibetur, quorum autem maxime laudanda sunt:

a. *flores sulphuris*, in forma unguenti adhibitae, et quidem cum sapone quod linimentum ill. Horn longo tempore in nosocomio Caritatis adhibuit, multaque millia scabiosorum radicitus sanavit. Formula talis habet:

℞. Sulphur. depur. ℥r. 3jv.

sapon. virid. q. s. ut

f. c. ▽ pluvial. Linim. molle.

Cutis partibus scabie laborantibus ter vel quater per diem hocce linimentum illinitur, et mundities, praeprimis sub curationis finem maxima est observanda; et

β. Hepar sulphuris, forma, vel unguentorum, ut Jadelot (notice sur le traitement de la Gale) cujus formula haec est:

℞. Hepatis sulphur. calc. 3jj.

Sapon. alb. ℥j.

Olei papaver. ℥jj.

— thymi 3j.

vel balneorum, 3jjj hepat. ad balneum; quibus etiam conjunctim uti licet. Quod attinet fumigationes ex sulphure, quas Galès (memoires et rapports sur les fumigations sulphureuses) laudavit, ill. Horn in Nosocomio caritatis saepe, plerumque tamen successu infausto, adhibuit; non solum, quia quinquaginta, et quod excurrit fumigationes requirebantur, ut unus, scabie afflictus sanaretur, sed saepe etiam vapores sulphuris affectiones pectoris etc. excitarunt. Quapropter sulphur, vel balneis, vel unguento adhibitum semper in scabie nuper orta sufficit; et hominibus, qui odorem fastidiosum timent, olei Bergam. vel de Cedro aliquantum addere litet.

Si vero scabies per plures menses adfuit, si

totā fere corporis superficies est occupata, tum simul cum externis interna propinantur remedia, quorum et hic praestantissimum est sulphur, et ut diaphoresis moveatur, antimonium crudum addere prodest; quod vero, diutius adhibitum cruditate, appetentiae defectum etc. excitat; quapropter aroma quoddam superaddi convenit v. c.

℞. Flor. sulph. ʒj

Antimon. crud. ʒss.

Cortic. Cinamom. ʒj.

M. f. ⚭. D. ad scatul. S.

ois vel ter quotidie cochlear minus. Scabie, remedium specificorum ope depulsa, plerisque in casibus cura secundaria non requiritur; si vero morbus hominibus valde debilibus accedit, si per diu perstitit; ita ut jactura lymphae excretae aliquid damni moveret, si denique cutis sensilior cubiculis clausis, atque aëris externi impatiens invasit; tum primo balnea tepida, quae sensim frigidis excipienda sunt, ut cutis aëris accessui adsuescat, et intus, pro constitutione diversa roborantia, diaeta nutrienda sunt.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
A D I E C T U M.

Ego Gustavus Henricus Eduardus Hehlen Pomeranus sedini ad Viadrum Anno MDCCXCIX die undecimo ante Calendas Apriles natus sum.

Pater meus, olim a Consiliis Consistorii, quinto aetatis meae anno obiit, cujus mortem quam maxime doleo. Matri autem viduae ex gente Crumonen, quatuor infantes educandos reliquit. A teneris inde, ad undecimum usque annum in domo paterna a magistris praecl. primis litterarum artiumque elementis institutus, Gymnasium, quod eadem in urbe floret, concessi, ibique quinquennium transegi. Eruditus litteris necessariis, Viro cl. Essen, Camini ad mare Balticum urbis Pharmacopolae spectatissimo in disciplinam traditus sum. Hancce artem tum quinque per annos tractavi, sed ei valedicendi, medicinae-
que

que operam navandi, consilio capto, Universita-
tem litterarum Berolinensem petii, et ab Ill. Sol-
ger a. MDCCCXIV. tum temporis fasces acade-
micos habente, numero Civium academicorum
rite adscriptus sum. Cum studia mea usque ad
finem hiemis MDCCCXIV persecutus essem, bel-
lum, quod rex augustissimus cum Francogallis,
patriae regnique deliberandorum causa gerere co-
actus erat, subito animum meum ad alia conver-
tit. Regi clementissimo, ad arma vocanti spon-
te, magnaue laetitia obediens, legioni eques-
tri, tum temporis instituendae, quae postea
(*8tes Husaren Regiment*) appellata est, addictus
sum, quacum per bellum, supra dictum stipendia
effeci. Germania liberata, paceque restituta Beroli-
num reversus, studia mea summa cum assiduitate
redintegravi; quae per quatuor annorum decur-
sum his ducibus tractavi: Mathesin, Logicen, nec
non Aetheticen Clar. Kiesewetter, Interpretatio-
nes librorum Taciti, et Metricen celebr. Boeck,
Botanicen, Pharmacologiam, Historiam naturalem
atque Toxicologiam ill. Link me docuerunt. Phy-
sice universa, celebr. Fischer, Chemia experimen-
tali illustr. Hermstaedt, Enceclopaedia et Methodo-
logia artis medicae, Anatomia universali, compa-
rata, et pathologica, Physiologia atque Anatomia
sensuum organorum ill. Rudolphi, Celsi interpre-
tationibus ill. Behrends, Osteologia, Splanchnolo-
gia et Syndesmologia ill. Knape, instituerunt. In

dissecandis cadaveribus per biennium usus sum ill. Rudolphi et ill. Knapé Praeceptoribus. Praelectiones de materia medica, doctrina formulas conscribendi et de praecipuis thermis ill. Osann, de Pathologia generali, celebr. F. Hufeland, de Pathologia speciali, Therapiaque cum morborum acutorum, tum chronicorum ill. Horn frequentavi. Pathologiam cum Therapia omnium morborum atque Macrobioticen ill. G. Hufeland, Therapiam morborum chronicorum ill. Behrends, Cursum operationum chirurgicarum atque doctrinam Apparatus dilagationis ill. Mursinna, Chirurgiam generalem, specialem, cursum operationum chirurg., morbos ossium dynam. et mechanicos nec non Ophthalmologiam ill. Graefe, Cursum operationum chirurgicarum ill. Rust mihi suppeditarunt. Artem obstetriciam theoreticam et practicam cum exercitationibus in Phantomate ill. de Siebold, atque celeb. Kluge. Scholas clinicas medicinae, Chirurgiae et artis obstetriciae ducibus ill. Hufeland, ill. Behrends, ill. Horn, ill. Graefe, ill. de Siebold ill. Wolfart, atque ill. Rust tractavi per tria semestria, ita ut his omnibus praeclaris Professoribus et summe reverendis praeceptoribus omnia debeam.

Tentamine et examine rigoroso peractis, cursu anatomico et chirurgico absolutis, Dissertatione mea denique defensa, ex Facultate Gratiiosa medica peto, ut summos in medicina et Chirurgia honores in me conferat.

Theses defendendae.

I.

Arthritidem cum Rheumatismo a perito medico non facile confundi posse, censeo.

II.

Un Exanthematis acutis sola febris est respicienda.

III.

Dysenteria est morbus acutus.

IV.

Hydrophobia est morbus inflammatorius.

V.

Calomel est Antiphlogisticum.

VI.

Existit morbus verminosus.





